



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 22. Alia excommunicationis sententia in Archiepiscopum Moguntinum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

enim homo impius, nullique religioni Sæcul. XV.
 addictus, præterea animæ immortalita- A.C. 1461.
 tem inficiabatur, & quæcunque sacra-
 tiora violabat jura, ut suam fatiaret am-
 bitionem. His flagitiis sibi justam sum-
 morum Pontificum indignationem accer-
 sivit, præcipue vero illam execrationem,
 cujus mox meminimus. Idem cum Se-
 nensis & Florentini exercitus Præfectus
 esset, in ipsum quoque summum Pontifi-
 cem, incassum licet, arma convertit;
 tandem vero sexto post anno millesimo
 quadringentesimo sexagesimo septimo
 animam exhalavit.

§. XXII.

*Alia excommunicationis sententia in
 Archiepiscopum Moguntinum.*

Idem quoque Pontifex aliam excommu- Comment.
 nicationis sententiam pronuntiabat in Pii II. lib. 6.
 Moguntinum Archiepiscopum, Diethe-
 rum nomine. Is postquam Anno mille-
 simo quadringentesimo quinquagesimo
 nono electus fuisset, Mantuam Oratores
 misit, qui confirmationem a Papa de mo-
 re postularent. Annuit Pontifex, dum-
 modo ipse Apostolicam Sedem adiret,
 solveretque unius anni cursu summam pro
 illa Ecclesia in Curia Romana designa-
 tam. Cum autem Dietherus hisce con-
 ditionibus non satisfaceret, ab Auditore

Sæcul. XV. A.C. 1461. Camera Apostolicæ palam denuntiatur, demum vero publice diris devovetur. Hac de re graviter indignatus, perinde ac si injuria affectus esset, ad futurum Concilium provocavit, ipsosque Germaniæ Principes, ut appellationi suæ adhærerent, summis precibus sollicitavit.

§. XXIII.

*Conventus Principum Germaniæ
hac super re celebratus.*

*Nauclev.
Chron. Vol. 3
gener. 49.*

Principes Archiepiscopi rationibus permoti, Moguntiæ conventum agunt; aderant quoque duo Apostolicæ Sedis Nuntii Rodolphus Decanus Wormatiensis, & Franciscus Canonicus Toletanus. Convenientibus igitur omnibus, querebatur Archiepiscopus, quod eum Romanus Pontifex sine ulla causa persequeretur, magnamque auri vim pro confirmatione electionis suæ peteret, ac denique præter decimarum exactiones ab eo insolitum quoddam juramentum exigeret, totamque Nationem Germanam aliis oneribus premeret, eo duntaxat fine, ut ingentes pecuniarum summas colligeret, quas quidem sub obtentu belli contra Turcas movendi peteret, re tamen ipsa in alios usus converteret.

§. XXIV.